

UM CÆSAREÆ MAIESTATI FERDINANDO SECUNDO, pientissimæ memoriæ, Anno millesimo, sexcentesimo, vigesimo secundo, clementissimè placuisset, Collegium Soc: JESV antiquissimæ Universitati Viennensi unire, & incorporare: Ut unio illa eò solidiori consisteret fundamento, & majori utriusq; partis animorum consensu stabiliretur, eorumq;, quæ Universitati per eam unionem decesserunt, refusio fieret, ac proinde hac ratione ea, quæ dissensionis materiam præbere possent, removerentur; visum fuit anno millesimo, sexcentesimo, vigesimo tertio, amicabili transactione rem componere. Conventum itaque inter 1mo alia fuit, ut Patres primò tenerentur Medicis dare auditorium & locum pro anatomiâ, ut 2do olim habuerunt, ante unionem. Secundò, locum pro congregatione Philosophorum: 3tio Tertiò, pro Bibliothecâ Universitatis; Quartò, 4to domum pro studiosis stipendiatis, ac aliam,

a loco

5^to loco aurei montis pro mendicantibus. Quintò, obligati essent, quemlibet stipendiatum sibi præsentatum pro triginta quinque florenis
6^to alere per annum. Sextò, ut Collegium Societatis tanquam verum & vivum Universitatis membrum, supremam in Academicis Rectoris & Consistorij jurisdictionem agnosceret, eaq; in Patrum Auditores, sive Scholares salva maneret, prout de hoc in Pragma-
7^mo ticâ §. 1. n. 2. & 3. cautum est. Septimò, ut Studiosi & stipendiati tenerentur Rectorem Universitatis, in publicis actibus & ad templum
8^vo comitari. Octavò, ut Professores Societatis immatricularentur, & ipsi ad actum Repetitionis Rectorem Universitatis invitarent.
9^no Nonò, Catalogum Lectionum annuatim eidem Rectori revidendum exhiberent. De-
10^mo niq; & Decimò, ut Patres pro duabus Bursis, torcular & cellarium ad exprimendas uvas, & reponendam vindemiam dare tenerentur.

Quia

QUia verò admodùm Reverendi Patres, mutatione temporum, eò rem deveniſſe aſſeverabant, ut ea, ad quæ dicta tranſactio illos obligabat, adimplere ipſis impoſſibile eſſet, & ideò ea, quæ in eadem tranſactione definita fuerant, hactenùs executioni mandari non potuerint: Ut etiam huic malo de opportuno provideretur remedio & prædicta tranſactio in ſuo vigore, quantùm fieri poſſet, permaneret, placuit hac ſecundâ in perpetuum valiturâ tranſactione rem denuò amicè componere, ac illam poſteris per hoc præſens Inſtrumentum memoriæ mandare.

Capita autem Compoſitionis ſunt hæc:

PRimò, ut ſtipendiati, qui antehac in Burſis Univerſitatis alebantur, deinceps, & perpetuis futuris temporibus commodam habeant habitationem: loco

illarum assignat Societas Universitati, à Societate aliàs emptum & ex fundamentis de novo constructum S. Ignatii Seminarium, situm ex opposito Scholarum, quâ parte Verdemanianæ & Bromberianæ domui adhæret, dictisq; stipendiatis ad usum debetur, exclusâ parte alterâ, quæ per arcum plateæ distinguitur: ut ibidem quadraginta Studiosi studijs incumbere, ac habitationem commodam, & cum cæteris, pari conditione, sustentationem sufficientem habere possint.

Quia verò, pro secundo, Universitati per hoc solus usus & habitatio hujus domûs cedit, & Societati proprietas manet, omnibus, præsentibus & futuris oneribus, incommodis & casibus fortuitis ipsa Societas subjacebit, ideoq; & ipsi, non solùm sartã tectam conservare incumbet: sed etiam, si illam incendio, aut alio casu fortuito perire, vel aliâ ratione ex illorum Dominio & potestate venire contingeret, tenebitur ejus loco aliam Universitati, æquè commo-

modam & opportuno loco ſitam, etiam ſine onere, pro eorundem ſtipendiatorum uſu & habitatione aſſignare.

TErtiò, Ex hac eadem ratione, ſi Societati futuris temporibus, expediret hanc domum permutare, vel quovis alio modo alienare, tenebitur priùs Univerſitatem requirere, & aliam utriuſque partis judicio, æquè commodam, ejus loco aſſignare, ac illius oneribus, incommodis, & caſibus fortuitis ſubjacere debebit.

QUartò, Cùm Reverendo Patri Regenti, hoc tempore, impoſſibile ſit vigore Compoſitionis, Anno Milleſimo, Sexcenteſimo, Vigeſimo quarto initæ, unum ſtipendiatum triginta quinq; florenorum pretio alere: Concluſum fuit, quòd deinceps Univerſitas quidem in præfato Seminario alendos præſentare poſſit quadraginta Studioſos, eoſq; Reverendus Pater Regens

ad præſentationem ejuſdem Univerſitatis, ſine omni difficultate recipere, & conſuetâ ſuſtentatione alere teneatur: tamen ut ad hos triginta quinq; florenos, quos Univerſitas ex diverſis Fundationibus percipit, addantur pro quovis ſtipendiato, annuatim viginti quinq; floreni: ita ut pro quovis ſtipendiato, hâc ratione, ſexaginta floreni, annuatim computentur.

VErùm, cùm ex Fundationum proventibus Univerſitas per annum non percipiat, univerſim, niſi mille, quingentos florenos: & cenſus, quos in ſuis domibus, ante unionem percipiebat, ſint ſublati; pro quadraginta ſtipendiatis, etiam pro quolibet computando ſexaginta florenos, annuatim requirantur bis mille, quadringenti floreni: Ut hæc ſumma annuatim habeatur, concluſum fuit, ut Societas de ſuo ducentos annuos ſuperaddat, & Univerſitas viciſsim alios ducentos in parato, quot annis, in manus

Patris

Patris Regentis enumeret. Ac præterea Societas cum Universitate pari conatu à Suâ Majestate CÆSAREA decem millia florenorum, loco ædium, Universitati ademptarum, pro stipendiatis, assignari procuret, ut ex hujus universæ summæ annuo censu, integros, singulis annis, habeat, bis mille, quadringentos florenos.

QUintò, sustentatio horum stipendiatorum erit ordinaria, eaque quam apud Reverendos Patres in Seminario alij Seminaristæ habere solent, nimirùm, trium ferculorum, præter panem sufficientem, pro qualibet mensâ, cum sextario vini, pro quolibet stipendiato: quibus etiam necessaria lectisternia, cum linteaminibus, ac alijs lecti requisitis, subministrare, semperq; conservare tenebuntur. Solutio autem ejus pensionis, quam Universitas præstare debebit, fiet in duobus terminis, prima, nimirùm, circa festum S. Georgij, altera, circa festum S. Michaëlis.

Sextò,

Sextò, ut Medici domo, alijs Universitatis usibus destinatâ tandem cedere valeant, Societas promittit domum in angulo Scholarum è Regione Monasterij Reverendorum Patrum Dominicanorum ædificari cæptam perficere, & quàm poterit citissimè in usum realiter consignare: ita ut præter locum pro conventibus Facultatis Philosophicæ, congruum etiam locum pro Anatomiâ, desuper Auditorium pro Lectionibus Medicorum aptum: & tandem etiam pro Bibliothecâ locum spatiosum Universitas habere possit, eiq; præfatorum locorum commoditas, servatâ solâ proprietate Societati, cedet, ac ad illa semper liberum accessum & claves habebit. Supremam verò curam hujus Bibliothecæ habebit aliquis Patrum Societatis à Reverendo Patre Rectore Collegij designandus. Cui ab Universitate duo saltem adjungentur, qui immediatam curam & inspectionem gerent ac damnis

omni-

omnibus emergentibus providebunt, ipsiq; Universitati satisfactionem præstabunt.

ET quia Septimò, uti jam dictum, proprietas hujus ædificij ad Societatem spectat, tenebitur illa, hac de causâ, ad omnia onera sustinenda, & ad ea cuncta, ad quæ ratione domûs Seminarij S. Ignatij superiùs se obligavit, nisi tale damnum ab ipsismet Universitatis membris fuisset illatum.

OCtavò, in compensationem domûs, olim Montis aurei nuncupatæ, Societas domum Scholzianam in vico S. Joannis sitam, ut in eâ studiosi mendicantes congruam habitationem habere possint, ab omni tamen Aulæ metatâ seu quarterio, steurâ aliisq; oneribus liberam Universitati cum omni jure tradet. Loco censuum verò, qui ex monte aureo quotannis percipiebantur, centum quinquaginta florenos remittet ex stipendio, quod ab Universitate Societati

pro utrâq; lecturâ Theologicâ pendendum est. Deniq; Societas ad Universitatis instantiam pro cellario & torculari, quod olim in Aureo monte, Bursâ Rosæ & Agni sufficiens erat, substituta verò Domus Scholziana caret, per cessionem Mille octingentorum florenorum in Provinciâ sibi legitimè debitorum satis faciet. Ut autem eò minùs difficile Societati videatur, cedet ei Universitas, mille quingentos florenos de suo residuo apud officium salis hîc Viennæ.

NOnò, Societas ad concordiam inter ipsam & reliquos Academicos conservandam, pollicetur se effecturam, ut ea omnia, quæ in unione continentur, accuratè observentur; Publici pro gradu disputationum & repetitionum Actus, cum authoritate Rectoris Universitatis, more aliarum Facultatum fiant, singulis annis Catalogus lectionum, cum subscriptione ejusdem, imprimatur, & Testimonia, quæ Decani, vel Vice-

Deca-

Decani Facultatis Philoſophicæ ſtudioſis diſcedentibus impertiri ſolent, non Univerſitatis, ſed Facultatis nomine, impoſterum expediantur.

DEniq́ue benignè promittit Societas, Studioſos Juris vel Medicinæ, in obtinendis conditionibus vel Pædagogijs, non ſolùm non impedire, ſed etiam, quantum in illis erit, non ſecùs ac alios ſuarum lectionum auditores, promovere. Econverſo Univerſitas hoc publico Inſtrumento palàm declarat, & omnibus, quibus opus eſt, notificat, ſi prædicta omnia fideliter ſerventur, ſe à Patribus Societatis, in ulla re, nihil ulterius unquam, quovis prætextu, prætenſuram, fateturq́; ſibi plenè & per omnia eſſe ſatisfactum: atq́; adeò eoſdem Patres Societatis, ut vera & legitima membra ſibi incorporata, omni amore & benevolentiâ proſecuturam; ac contra quoſvis, illegitimè

ipsos persequentes, debitâ protectione, non secùs, ac alios de corpore suo defensuram atq́; etiam procuraturam, ut juxta laudabile eorum institutum, uti hactenùs, ita & imposterum scientias omnes prælegere, ac reliquos actus, juxta præscriptum Pragmaticæ, Anno millesimo, sexcentesimo, vigesimo tertio erectæ, & anno millesimo, sexcentesimo quadragesimo Cæsareâ authoritate confirmatæ, imperturbabiliter exercere possint, ac valeant.

QUæ omnia rata & firma, irrevocabiliter servare utraq́; pars sincerè promisit, Et ut nullo unquam tempore, aut quocunq́; prætextu & eventu hæc nova & amicabilis transactio (ut cui omnes aliæ, in quantum huic contrariæ sunt, aut ei derogare videntur, extinguuntur & annullantur) violari queat: Pro parte Universitatis subscribet, Dominus Ioannes Guilielmus

Manna-

Mannagetta, Primarius Practicæ Medicinæ Professor, & pro tempore Universitatis Rector Magnificus: Reverendissimus Dominus Stephanus Zvvirschlag, Ecclesiæ Cathedralis ad Sanctum Stephanum Præpositus, Universitatis Cancellarius: Dominus Ioannes Baptista Suttinger, Sacræ Cæsareæ Majestatis Consiliarius, & in Excelso Regimine Cancellarius, Universitatis Superintendens: Doctor Iacobus Thavonathus, Sacrorum Canonum ibidem Professor Primarius, appresso ejusdem Universitatis Sigillo. Ex parte Societatis, Superiores illi, quibus jure illorum convenit contractus publicos firmiter erigere, Admodum Reverendus Pater Zacharias Trinkellius Soc: Jesv per Austriam Præpositus Provincialis; Admodum Reverendus Pater Ferdinandus Herberstein, Societ: Jesv Collegij Rector. Atq; etiam ab utriq; procurabitur, ut hæc omnia sua Sacra Cæsarea Majestas authoritate suâ roboret, ac confir-

met. Demùm Utriq; parti tradetur Exemplar eisdem omnino clausulis ac signaturis & subscriptionibus instructum. Quod Deus Opt: Max: benè feliciterq; faxit evenire. Actum Viennæ, Decimâ Januarij, Anno millesimo Sexcentesimo, quinquagesimo tertio.

Joan. Guil. Mannagetta D. p. t. Untis Rector.

Stephanus Zwirschlag Præpos. Vien. Cancells Untis

Joan Baptist Suttinger D. Sacræ Cæs. Majestatis Cons. Exc. Reg. Cancellarius et Untis Superintendens.

Jacobus Thavonatius D.

Zacharias Trinckellius Soc. Jesu Præpositus Provinciæ Austriæ.

Ferdinandus Herberstein S. J. Coll. Rector.

L. S. pend. | L. S. pend. | L. S. pend. | L. S. pend. | L. S. pend. | L. S. pend.

Omnia et singula in hac Transactione contenta revisa et lecta sunt, atque á Ven. Cons^to. sæpiùs examinata et ultimò tandem á publicâ Congregatione, unanimi omnium noto aſs; probata sunt; id quod testor manûs meæ Subscriptione et Sigilli